




p^r M. Joannis

IN LAUDEM

CELEBERRIMI VIRI

D. FRANCISCI DE LAMURE,

REGIS Conſiliarii Medici, in Ludovicæo Medico Monſpelienſi Profeſſoris Regii & Decani.

ORATIO INAUGURALIS,

QUAM pro ſolemni Studiorum inſtauratione in Ludovicæo habuit, die 6 menſis Novembris anni 1787,

HENRICUS-LUDOVICUS BRUN,

REGIS Conſiliarius Medicus, in eodem Ludovicæo Profeſſor Regius, è Regiâ Scientiarum Societate.



MONSPELII,


Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXXVIII.

Manibus date lilia plenis,
Purpureos ſpargam flores, animamque *parentis*
His ſaltem accumulem donis.

Virg. Æneid. lib. 6.





ORATIO INAUGURALIS.

VETERIBUS Ægyptiis ſolemne fuit Reges ipſos recens ex oculis ſublatos vocare in judicium, ut adhùc quaſi ſpirantibus extis, à poſteritate, adulari neſciâ, jamjam in illos inſurgente, debitum acciperent, laudis ſi rectè, vituperii ſi malè imperii res geſſiſſent. Dignum profectò populorum ſapientiſſimi inſtitutum! diù oblivioni traditum, identidem in magnatum gratiam larvatum, noſtro tandem ævo quadantenùs in Academiis renovatum, quæ virorum ſcientiâ ingeniove præcellentium biographiâ apologeticâ, novos ad eoſdem labores ſtimulos addunt; in gymnaſiis præcipuè recipiendum, juvenum concurſu undequaque ad hauriendam ſcientiam adventantium celebribus, ut auditis virorum qui hæc gymnaſia illuſtrarunt laboribus, & ex his parta laude, utilem paris meriti æmulationem nanciſcantur. Eâ ratione ductus, Viri illuſtriſſimi quem luget Academia noſtra præconium, pro ſolemni ſtudiorum inſtauratione, dicturus, nullus vereor ne ſeverior etiam philoſophia me redarguat, quin contrà vobis, Auditores ornatissimi,

gratum me acceptum iri arbitror, dùm Viro optimo, Scholæ noſtræ ornamento, bonis omnibus flebili, monumentum erigam, cordis mei affectus propalans, tranſitorium heu! nimis, doloris tamen æterni debile quidem, at ſincerum ſpecimen.

Virum egregium laudabo ejus imaginem ad vivum, quantum in me erit, depingendo, eumque ſub multiplici reſpectu oſtendendo, quo ſe in Republica litteraria prodiit, Medicinam ſcilicet docens profitenſque, & orationis iſtius diviſionem ab ipſo mutuavi, dùm in eâdem Cathedrâ, eodem munere fungens, pro ſtudiorum inſtauratione facundiſſimè ut ſolebat diſſerens, id aſſertum extrà omnem dubii aleam poſuit, nempè quod nullus Medicinæ Profeſſor optimus eſſe poſſit, quin hoc ipſo ſit optimus Medicus; illudque firmavit tùm certis rationibus, tùm numeroſis exemplis, è diverſis Scholis, ex iſtâ potiſſimùm petitis. Meum eſt igitur oſtendere ipſum in probationem aſſerti quod propoſuit citari meruiſſe. Primò itaquè eum monſtrabo Profeſſoris laude dignum; ſecundò Practici munere fungentem. Sic palàm fiet qualis fuerit Vir nobiliſſimus (1) FRANCISCUS DE BOURGUIGNON BUSSIERE, Dominus DE LAMURE,

(1) Ortum duxit è nobili ſtirpe Gallo Provinciali cui nomen *Bourguignon de Buſſiere*, ſub cujus dominio jamdudùm erat pagus *de Lamure* propè oppidum Caſtelane. Profeſſoris noſtri proavus, *Joſephus de Bourguignon Buſſiere* Dominus *de Lamure* inter nobiles annumeratus fuit, Regis Legatorum judicio in Gallo Provinciam miſſorum anno 1666, ut nobilibus jus dicerent; id judicium argumentis munitum hujus familiæ nobilitatem probantibus à ſæculo 15°. firmatum fuit decreto Regis Conſilii intimioris in actis Supremæ Computorum Curiæ Monſpelienſis & Aquiſextanæ perſcripto.

Regis Consiliarius Medicus, in Ludovicæo Monspeliensi Professor Regius & Decanus, Regiarum Societatum Scientiarum Monspeliensis & Medicinæ Parisiensis Sodalis. Dicentem me vestrâ benevolentiâ sustinete aud. orn. quam si non rapiat orationi deficiens lepor, obtineat saltem argumenti dignitas.



PLERISQUE hominibus contingere solet ut eam sortem, quam in civili ordine exequuntur, seu sors objecerit, vel dederit ratio, vel parentum jussus. Ast interdùm nonnulli ad quamdam scientiam artemve à naturâ comparati, ad eam quodam veluti impetu ineluctabiliter feruntur, gloriæ quæ eos manet certo quasi instinctu præmoniti. Inter istos reponendus Professor noster, qui oceani procellas & scopulos contemnens (1), majoremque obicem superans, patris scilicet indignabundi iram, ex Americâ Monspelium adiit, Medicinæ scientiam ex ipso fonte hausurus, antiquâ Scholæ nostræ famâ permotus, tunc temporis dignissimè fultâ, post nuper extinctum chiracium, recens Parisiis vocato erud. *Astruc*, superstite adhùc qui pestilentiæ curæ fortissimè

(1) Natus in oppido Sancti-Petri in Insulâ Martinicâ die 11 Junii 1717, ex *Francisco de Lamure*, Præfecto tractûs dicti Macouba, & *Maria-Annâ Ferry*, in Europam missus fuit anno 1723, & à cognatis exceptus Nannetis Armoricorum, ubi prima litterarum rudimenta didiscit, posteâ eas penitùs edoctus in Collegio *de la Flêche*; post elapsos decem annos Martinicam repetiit, iterum Nannetas, atque indè in Martinicam redux, exeunte anno 1736 è patriâ Monspelium migravit, quò appulit mense Februario 1737.

ſeſe devoverat *Chycoineau* , tunc ad ſummum honorum Medicorum apicem evecto , famæ ſuæ fundamenta jam ponentibus *Fizes* & *Sauvages* (1).

Solitos magnâ ſuorum magiſtrorum & ſodalium admiratione labores ſuperatus , ad doctoratus honores ſummo plauſu promotus fuit (2) ; præclaris Viris quos nuper Magiſtros habuit ſeſe collegam adſcire , juvenis adhùc , ſed ſui genii conſcius , ſperavit , præſagiit ; jamque quid valerent humeri experiri impatiens , quod ex Profeſſorum auctorumve lectionibus , profundâ meditatione ſuum effecerat , Magiſtri munere fungens , mirabundis ſodalibus effundebat , egregiæ doctrinæ , inſignis facundiæ ſpecimina præbens. Naturali inſtinctu , tùm & ſucceſſu , juvenili animo nunquam non grato , incitatus , quem ſibi aperuerat campum , doctior factus , novo citatiorique plauſu excurrere perrexit , invictè perſuaſus certiorem ad ſummum doctrinæ apicem non eſſe viam , quam ſi haſce diſciplinas , quas funditùs callere cupimus , alios edoceamus , huncque meliùs doctum evadere qui , re undequaque benè perpensâ , eam aliis explicare nititur. Prima itaque ſcientiæ medicæ fundamenta habens anatomen & phyſiologiam , de his curſus eximios edebat , qui famam

(1) Cæteri Profeſſores iſtorum collaboratores eximii erant *Franciſcus Chycoineau* , Cancellarius , Patris Coadjutor , *Petrus Rideux* Decanus , *Antonius Magnol* , *Henricus Haguenot* , *Jacobus Lazerme* , *Geraldus Fitzgerald* , *Euſtachius Marcot* , Regis Medicus perpetuo ordinarius.

(2) Ad Baccalaureatum admiſſus die 25 Julii 1738 , præſide D. *de Sauvages* , ad Licentiæ gradum 24 Decembris 1739 , Doctoratum adeptus eſt die 26 Aprilis 1740 , præſide D. *de Sauvages*.

qua in posterum inter physiologos enituit, ipsi jamjam promittebant; nec intereà à vero Medicinæ fonte, praxi nimirùm clinicâ, alienus, ad naturæ normam componebat, quæ, licet magni nominis auctoritate munita, ad imaginationem efficta, ultrà veritatis fines excurrebant.

Sic optimâ methodo ad momentosum Professoris munus informabatur: momentosum dico, etiamsi concedatur *Fontenellio* (1) non officio suo deesse Professorem, licet jam inventis nihil adjecerit; ipso enim *Fontenellio* judice, ea percalluisse omnia tenetur, quæ cum apud veteres, tùm apud recentiores & coætaneos, inventa sunt aut excogitata suam ad artem pertinentia; scriptorum obscuriora loca, quæ multa contingere solent, interpretetur & illustret opus est; auctorum errores, tantò damnosiores, quantò meritis laudibus præstantiores extitere qui errando aliquid humani passi sunt, sedulò notare & expungere necessum habet; tandem quasque docendi methodos justâ severitate pendit, mutat, novas instruit, si quæ cognitis hactenùs aptiores esse videantur, quarum adminiculo artis præcepta tyronum animos expeditiùs subeant, iisque meliùs & altiùs reposta manere possint.

Ad id momentosum igitur munus ritè informato, vacante per obitum (2) clar. *Fitzgerald* regiâ cathedrâ, sese obtulit occasio laborum suorum fructum, tyronibus quidem utilissimum, sed hucusque inter ipsos coactum, palàm proferre;

---

(1) Mém. de l'Académie royale des Sciences, 1738, éloge de *Boërhaave*.

(2) Die 10 Januarii anni 1748.

coram doctiſſimo ſenatu medico, coram civium omni ſcientiarum genere ornatorum cætu, coram orbe medico avidè expetente doctrinæ ſpecimina à quolibet decertante in lucem edenda, coram doctiſſimorum antagoniſtarum acie, in id acriter intentâ ut cujuſlibet in arenam deſcendentis doctrina, omni curâ ac diligentiâ, tentetur. Nec ipſi quidquam defuit in iſto litterario certamine ex quo novam gloriam Nanciſci potuerit, ſeu ſpectetur ad numerum clariſſimorum antagoniſtarum qui illud ultrò inivêre (1), ſeu ad problemata propoſita (2).

---

(1) Candidati fuere *Hugo Gourraïgne*, *Carolus Serane*, *Thomas Fitzmaurice*, *Honoratus Petiot*, *Jacobus Farjon* (ſolus ex his ſuperſtes, ſummâ laude praxim clinicam jamdudùm Monſpelii exercens) *Franciſcus de Lamure*, *Franciſcus Imbert.* : incepta diſputatio die 6ª. Maii 1748, finem habuit die 23 Auguſti 1749.

(2) Quæſtiones illi propoſitæ fuerunt. 1ª. An contractio muſculi licet conſtans & permanens à paralyſi ſui antagoniſtæ oriunda, ſit vera convulſio, & eamdem therapeïam expoſtulet ?

2ª. An eruptioni variolarum difficili, laudanum cum cardiacis ſit præſcribendum ?

3ª. An poſſit empyema per diureſim expurgari ?

4ª. An vulnera capitis ſint periculoſiora Pariſiis quam Monſpelii, vulnera verò tibiarum ſint periculoſiora Monſpelii quam Pariſiis ?

5ª. Maraſmi theoriam & therapeïam exponere.

6ª. Aſſignare diverſas hydropis abdominalis ſpecies earumque theoriam & therapeïam exponere.

7ª. An ſit aliquod ſignum pathognomonicum febris & quale ſit ?

8ª. Cur fœtus in utero contentus, urinas nec alvinas fæces ejiciat ?

9. An emphyſemati ſanguinis miſſio ?

10ª. Cur præparata mercurialia ad debellandam luem veneream ipſo

Ea doctissimè solutus, inter illos enituit famæ jam adeptæ non inferior, omnium plausu lauream meruisse visus; aliter tamen judicarunt agonothetæ, qui vel errore humanitati proprio obcæcati, vel, quidni fateremur! forsan malâ quâdam arte ducti, eximium Professorem, scholæ suæ decus futurum, ab eâ incauti removissent, nisi ipsi fuisset incitamento passa repulsa; supremum harumce rerum judicem adiit, virum magnum, ingenio & doctrinâ præcelsæ dignitati superiorem, Galliæ Cancellarium *d'Aguesseau*, qui candidati nostri promerita dignoscens, ea pro suâ æquitate remuneravit, eum designans ad primam vacaturam Professoris cathedram (1).

Tali errore vel injuriâ pertæsi nonnulli fortasse contendent abrogandas esse has disputationes, haud absque veri

---

mercurio debitè extincto minùs valeant: cinnabarina tamen adversùs epilepsiam, quæ venerea non est, magis valeant?

11ª. Presbytiæ theoriam & curam exponere.

12ª. Respirationis difficultatem & frequentiam explicare.

Nonnulla alia, disputationis occasione, opuscula edidit, quæ licet currente calamo conscripta, tamen manifesta indicia præbent ejus in scribendo concinnitatis, in ratiocinando solertiæ; hæc sunt: pathologicarum de febre & palpitatione lectionum vindiciæ; parergon de anevrysmate; examen responsionis clar. D. *Serane*, ad scriptum *Franc. Lamure* cui titulus est pathologicarum de febre & palpitatione lectionum vindiciæ; examen animadversionum clar. *Petiot* in parergon de anevrysmate conscriptum à *Franc. Lamure.*

(1) Coadjutoris titulo inter Professores admissus mense Novembri 1749, cathedram adeptus est die 20 Aprilis 1750, vacantem per obitum D. *Petri Rideux*, Decani.

ſpecie ; ſic tamen non cenſebunt qui rem accuratiùs perſcrutabuntur, probè gnari interdùm in optimis inſtitutis aliquid vitii ſubrepere ; ſic non cenſebat ill. Prof. noſter qui ratus, in hiſce certaminibus litterariis, haberi optimum criterium eorum qui Profeſſoris munus ambiunt, ſuam hâc de re opinionem protulit in Oratione inaugurali, pro ſolemni Studiorum inſtauratione habitâ, quâ probare ſategit ex his diſputationibus egregia, tùm in Scholam noſtram ſpeciatim, tùm in rem medicam in genere, fluere emolumenta.

Jam ergò arctiori vinculo Scholæ Monſpelienſi adſtrictus, novus, at non inexpertus, Profeſſor, quidquid in poſterum ad artis incrementum patraturus eſt, hujus celebris ſcholæ gloriæ propalandæ inſerviet. Sic ſentiens novam adeptam dignitatem non tam laborum præmium quam incitamentum habuit, undè licet publicis lectionibus intentus, à privatis non abſtinuit, ſtudioſorum votis obſecundans, queis ut ſemper in deliciis fuit, ita horum amantiſſimus extitit ; in his erudiendis aſſiduam operam navans (1), eodem quo in arenam deſcenderat ſplendore ad metam uſque coruſcans.

At ſi dulce eſt vitæ ſtadia revocare quæ ad viri clar. gloriam contulêre, ſcientiæ proficuum erit ejus doctrinam exponere, quidve ad artis incrementum peregerit. Eo

(1) Uſquè ad annum 1766 quotannis privatum curſum edidit de inſtitutionibus Medicis ad normam *Boërhaavii*, non quod ejus doctrinæ aſſentiretur, docendo enim multus erat in refellendis Profeſſoris Batavi dogmatibus, theoriam mechanicam nimiùm redolentibus, ſed quod ejus docendi methodum adamuſſim æmulabatur. Privatim etiam per plures annos docuit anatomen, materiem medicam, praxim medicam, &c.

tempore quo prima artis iatricæ limina attingebat, fato fungebatur ſplendidiſſimum Scholæ Leydenſis decus *Hermannus Boërhaave*. Tanti præceptoris doctrina à clar. Diſcipulis paſſim ſpargebatur, & in Scholis Medicorum principatum facilè ſibi vindicabat, ſuper obſoleta galenicorum & pſeudo-chymicorum dogmata; ſaniori tamen qua pollebat philoſophiâ Prof. noſter tantæ auctoritatis jugum reſpuit, certus nihil æquè ſcientiarum humanarum progreſſui obſtare ac cæca in auctoritatem, quantacunque ſit, reverentia; idcircò *Boërhaavii* doctrinam, mechanices legibus nimiùm concedentem, velut à rectâ phyſiologiæ methodo alienam rejecit, *Sthalii* opinionem amplexus (1), tunc in Scholâ noſtrâ defenſam à clar. *de Sauvages*. At *nullius addictus jurare in verba magiſtri* brevi perſpexit non minùs à veritatis tramite recedere *Sthalium*, cuncta quæ in corpore fiunt animæ imperio tribuentem. Et profectò quis hominem conſiderans corpore conflatum & animâ, hunc, machinæ inſtar, mechanicis legibus tantùm regi putaverit? Quis ſepoſitâ organorum mirâ arte fabrefactorum ſtructurâ, œconomiæ humanæ functiones conceptibus metaphyſicis aſſequi contenderit? Ingenii humani ex utrâque parte deliramentum! à quo, inter utrumque tenentes, immunes ibunt tutiſſimi, qui plura vitæ phœnomena ex corporis organiſmo deducentes, ſuum mechaniſmo influxum, ſuum vitæ principio, qualecunque demùm ſit, relinquentes, eorum nexus & relationes inquirunt,

(1) Dogmata *Sthaliana* propugnavit in diſſertatione quam pro Baccalaureatûs gradu conſequendo edidit, cui titulus eſt *theoria febris*.

ad metaphyficorum fcholas demittentes, vagas & nufpiam folvendas de entium incorporeorum actione difputationes. Sic fentiens Prof. nofter, veterum eclecticorum quadantenùs veftigia premens, ex fecum pugnantibus fectis aliquid deprompfit, undè fuæ doctrinæ fundamenta jecit (1); eaque firmavit, fagaci non minùs, quam prudenti naturæ interrogatione, experimentorum viâ, tentatâ; in eo dignum æmulum fefe præbens clar. virorum *Hales*, *Reaumur*, *Duhamel*, *Haller*, *Buffon*, qui naturæ feduli indagatores, ejus arcana revelare annitebantur, experimenta, obfervationes in vivis animalibus inftituendo.

Hic nonnullos audio talia experimenta dicteriis infamantes, eaque velut parùm utilia, imò in errorem facilè ducentia rejicientes, ex eò quod contendant animalia cultro anatomico fubjecta, à ftatu naturali aliena omninò, nihil minùs quam veram functionum œconomiæ fanæ imaginem referre. An vero difceptabunt illi, eâ methodo, fi non omninò enodatas, faltem plurimùm illuftratas fuiffe quæftiones de

(1) Minimè vereor afferere Virum clariffimum inter primos reponendum effe qui, perfpectâ vanitate theoriarum medicarum fundamentis extraneis fuperftructarum, mechanicis, chymicis, &c. agnoverunt leges œconomiæ animali peculiares fancitas fuiffe, quæ folâ obfervatione detegi poffunt, eafque fic ritè obfervatas bafim genuinam fternere theoriæ medicæ. Hancce faniorem doctrinam plurimùm promoverunt Medici Monfpelienfes *Lamure*, *Bordeu*, *Venel*, *Barthez*, eorumque numerofi non minùs quam præclari Difcipuli: duo priores maximè, amicitiæ fœdere, & laborum communione juncti, ut fidem facit cel. *Bordeu* in proœmio ad difquifitiones de textu mucofo; iftius fcripta, ut Profefforis noftri lectiones, huic doctrinæ evulgandæ maximè contulerunt.

motu ſanguinis circulatorio, de reſpiratione, de digeſtione, de oſteogenia, de irritabilitate & ſenſibilitate, de generatione animalium? Fatendum itaque iſtâ methodo plùs profeciſſe phyſiologiam, quam vanis, utpotè ad imaginationem effictis, Medicorum, qui à *Galeno* ad *Harveium* uſque floruere, hypotheſibus.

Non minima igitur Profeſſ. noſtri laus erit, eamdem ac cel. Viri jam citati calcaſſe viam; eâ enim aliquid adjecit demonſtratis phyſiologicis. Motuum cerebri jam equidem obſervatorum cauſam, hactenùs latentem, ingenioſiſſimis aperuit experimentis, quibus ad demonſtrationem evicit hanc deducendam eſſe à motu refluo ſanguinis per venas jugulares ab expiratione impreſſo. Hujus inventi gloriam ſuam eſſe contendit *Hallerus*, virum noſtrum plagii reum incuſans, verùm ab iſta inſimulatione optimè ſeſe vindicavit, eumque in hâc lite victorem declaravit regia Scientiarum Academia, ejus commentarium in ſuâ pretioſiſſimâ collectione recipiens (1), à quâ arcetur quiſquis non invenit aut perficit.

Weitbrechii dubiis motus, cogitare cæpit minùs veram eſſe hydraulico-mechanicorum ſententiam de arteriarum pulſatione, quam, ab *Harveio*, tribuebant omnes earum dilatationi, à ſanguine è cordis ventriculis propulſo, ſub eorum ſiſtole, factæ; calculo & experimentis extrà dubium poſuit hujuſce cauſæ falſitatem, & alteri tribuendum eſſe iſtud phœnomenum evicit, nempè arteriarum locomotioni, veroſimillimè pendenti à cordis motu ſubſultorio ejus ſiſtolen comitante. Extat ſuper hac quæſtione egregius com-

(1) Mémoires de l'Académie royale des Sciences, ann. 1749.

mentarius quem inter ſuos etiam admiſit regia Scientiarum Academia (1).

Extant nonnulla alia ejus doctrinæ ſpecimina, quæ aut à tyronibus avidè excepta manuſcripta ſervantur (2), aut

(1) Mémoires de l'Académie royale des Sciences, 1765. Iſti duo commentarii unà cum tertio cui titulus eſt : Recherches ſur la coëne du ſang, & epiſtolâ ad D. *Daumont*, Medicinæ Profeſſorem in Univerſitate Valentinâ, typis mandati Monſpelii apud *Martel*, 1769, venales proſtant apud *Tournel*.

(2) Manuſcripta extant excerpta è ſuis prælectionibus de praxi medicâ, de materiâ medicâ; iſta, ſcilicet de materie medicâ, diù inter phyliatrorum manus verſata, & ab uno ad alium ſucceſſivè, inter ineruditos adhùc tyrones, tranſmiſſa, ſic pluribus mendis fœdata, paucis abhinc annis à quodam anonymo typis mandata fuere, ſub hoc titulo : Nouveaux élémens de matiere médicale, extrait des leçons publiques de M. *de Lamure*, Doyen des Profeſſeurs royaux au Ludovicée de Médecine de Montpellier, avec des réflexions judicieuſes & importantes pour la connoiſſance des maladies, & l'application des médicamens, dans l'exercice de la pratique de la Médecine, recueillis & mis en ordre par M.... Docteur en Médecine au Ludovicée de Montpellier. A Amſterdam, & ſe trouve à Montpellier chez *François Tournel*, Libraire, 1784, *in*-4°. Id opus in lucem prodiit inſcio D. *de Lamure*, qui illud longè excultius, & ſuâ famâ dignius edidiſſet, niſi ipſi defuiſſet otium, ut ſuas lucubrationes, quæ diſcipulis adeò utiles fuerant, poſteris tranſmitteret. Undè hanc editionem expreſſis verbis renuit, ſuis Collegis declarans ſe neutiquam ad eam contuliſſe.

Manuſcriptæ extant apud plures Medicos, olim Univerſitatis Monſpelienſis Alumnos, primæ lineæ phyſiologicæ, quas in ſcholis dictavit : neque parùm de phyliatris benè mereretur qui id opuſculum ritè ab ipſo Auctore acceptum typis mandaret; opus fuſius de phyſiologiâ corporis humani ſcripſerat, à quo abſolvendo ob praxim uberrimam dimotus fuit, quod hancce Medicinæ partem novis & ſagaciſſimis ſententiis locupletaſſet.

dissertationum academicarum formâ typis mandata (1), raros exhibent tanti ingenii fructus, at sufficientes, tùm ut docendi methodum, quâ & sermonis elegantiâ & perspicuitate nulli secundus fuit, tùm ut laborem impensum in

---

(1) Harum præcipuas, quantum novi, enumerare juvat.

Conspectus physiologicus pro Baccalaureatû propugnandus à *Ludovico-Honorato Soulier*, 1751.

Positiones ex physiologia corporis humani depromptæ propugnatæ à *Joanne-Baptista Teissier*, Havannensi, 1761.

Positiones medico-chirurgicæ de scarificationibus & cucurbitulis, de hirudinum applicatione, de vesicatoriis, setaceis & cauteriis, tandem de paracenthesi : propugnatæ à *Joanne Guiguou de Lachaud*, Versaliensi, 1765.

Positiones medico-chirurgicæ de missione sanguinis, prop. ab *Edmundo Oreilly*, *Corcagiensi Hiberno*, 1765.

De inflammationis theoriâ, ejusque per resolutionem curatione, prop. à *Joanne-Ludovico Sanial Dufay*, Cheylariensi, 1766.

De suppuratione & curatione inflammationis per suppurationem terminandæ, prop. à *Joanne-Baptista Boyer*, Massiliensi, 1766.

Positiones semeiothicæ, prop. ab *Honorato-Genesio Paris*, Arelatensi, 1763.

De secretionum in humano corpore mechanismo, prop. à *Claudio de Chavanne*, Bellojoviensi, 1748.

Primæ lineæ pathologicæ, prop. à *Renato-Zacharia Mereau*, Pictaviensi, 1766.

Primæ lineæ therapeuticæ, prop. ab *Alexandro Rouchet Duverger*, Vivariensi, 1766.

De variolis, cui accessit appendix de inoculatione, prop. à *Francisco Berthelot de Beauregard*, Bercoriensi, 1767.

De sensibus externis speciatim, prop. à *Carolo-Ludovico Perreau de Laberderie*, Rupellensi.

edocendis variis Medicinæ partibus percipere poſſimus.

Hiſce laboribus intentus, mentis propenſione magis quam officio, ſed ab his ſæpiùs abductus, creſcente in dies apud illum ægrotantium concurſu, Scholæ celeberrimæ jamjam Decanus (1), ſummâ quâ mihi favebat benignitate motus, ſuis lectionibus & exemplis inſtructum me ſibi ſuffectum voluit in inſtituendis Academicis prælectionibus, ac poſt tolerata publicæ diſputationis pericula, à regiâ auctoritate coadjutorem petiit, me illi adeò imparem, cujus veſtigia longè ſequi ut glorioſum ità dulce mihi ſemper erit. Utinam ſic ſeligens in vituperium non inciderit! utinam temeritatis non arguar, Viri celeberrimi loco ſedere auſus! quem ſi pro dignitate non adimpleam, ad meliora nunquam non addet animos, ardens, modeſta tamen, eum imitandi cupido.

Jam Profeſſoris laude dignum monſtravi clar. Virum; non minori inclaruiſſe famâ in exercendâ praxi nunc meum eſt oſtendere; ſic iterum dicentem veſtrâ benevolentiâ ſuſtinete.



Si verum ſit nullum eſſe poſſe Medicinæ Profeſſorem optimum, quin hoc ipſo ſit eximius Medicus, ex jam dictis ſatis ſuperque probatum foret virum egregium practici laudem meruiſſe; quod utique à cordatis viris minimè negabitur, qui perſpectâ officiorum ſphærâ quam abſolvere debet Medicinæ Profeſſor, apprimè intelligent ad eam omninò imparem fore, niſi frequentibus apud ægros aditionibus, &

(1) Ab anno 1767, poſt abdicationem D. *Haguenot.*

assiduâ eorum curatione, morborum proteiformes modos & phases internosse, naturæ morborum curatricis miras & ineruditas artes imitari, hanc appositis auxiliis opportunè juvare, huic saltem nunquam nocere, apprimè didiscerit: aliter nequidem scripta Medicorum intelliget, quamvis ea, sedens in musæo, nocturnâ diurnâque manu versaverit, & quod pessimum, à se credet intelligi. Horum intimè persuasus Prof. noster curandis ægris maturè sese addixit, horum tamen copiam non quærens, sed eum numerum qui sufficeret notandis singulis apud quemlibet ægrotantem supervenientibus. Hac methodo summam nactus erat ergà veteres admirationem, quorum observationes mirè cum suis congruere videbat; indè morborum subinvasionis incrementi & exitûs verissimas picturas & delineationes, medicaminum accuratè notatos effectus, variarum medendi rationum eventus, fausti fuissent infausti-vè, summâ fide diligenter observabat. Indè sensim medendi methodum sibi comparabat, non ex ullâ auctoritate, duce non rarò fallaci, sed propriâ experientiâ acquisitam, ipsi filum suppeditantem, quo per intricatissimum praxeos dedalum tutò & expeditè progrediebatur. Sensim gliscebat fama in dies, donec ad summum evecta fastigium exteros undequaque advocabat morborum diuturnorum sanationem apud illum quærentes. In his debellandis ægritudinibus quæ vel innatâ prociâ optimos artis conatus elusêre, vel statim intempestivâ medicatione tentatæ, novas vires acquisivêre, quæ idcircò artem expostulant humanæ penè dicam superiorem, maximum sese præstitit, pluresque dimisit firmâ valetudine gaudentes, quos de vitâ desperantes exceperat. Absit nos

minuere velle laudem à Medico partam in curandis morbis acutis, at major debetur illi qui chronicorum curationi incumbit. In his enim vividi & efficaces naturæ motus, etiam invitâ pravâ medendi methodo, non rarò morbum discutiunt: & fatendum quod si quandòque minùs æquum vulgus infaustos eventus medenti tribuat, sæpiùs ejus honori successus vertat qui omninò naturæ debentur. Contrà in chronicis plerùmque iners ista totum curationis opus Medico relinquit, cui ergò id agendum incumbit, ut tollantur profundè radicati morbi, erigatur vis vitæ torpida, muniatur ægrorum mens contrà diuturnæ curationis tædia, & quidni fateremur? Firmetur titubans inter dubia ab adversis Medicorum sententiis suborta. Hinc tota sua est laus à Medico parta in curandis longis ægritudinibus, dùm hujusce laudis partem sibi vindicat natura in acutorum curatione. Præstereà qui acutos curat, is suis concivibus tantùm utilis est: qui curat chronicos, & in ea nobili operâ famam sibi comparare novit, is ad omne humanum genus scientiæ salutiferæ dona extendit. Undè si indubitanter ad priorem pertineat corona civica, qua eum remunerare solebant Romani, qui in prælio civem servaverat, alteri, cum istâ simùl, alia decernenda foret, verbo sit venia, Cosmopolitana dicenda. Neque comparatione nimis superbâ duci videar, bellatori æquiparans Medicum, qui, inquient nonnulli, absque dedecore ignavus, nullo vitæ discrimine, suum munus obit, dùm proprio periculo semper pugnat miles: ecquis tamen dicet majori pollere virtute qui morti sese offert in medio armorum strepitu, virtutis exemplis undequaque cinctus & incensus, illo qui lethum tacitè

quidem, ſed non minus certò ſerpens, iterata clade monitus, at impavidus, inter hominum perterritorum luctus, ſolus fortis, ſibimet-ipſi imminens intuetur? Hic vos teſtes appello magnanimi Medici qui morborum epidemicorum curationi ultrò incumbentes, periculi undequaque vos ambeuntis conſcii, patriæ ſaluti vos devoviſtis! quis adeò parùm æquus fortiſſimi animi laudem vobis denegabit? Non tantùm itaque de patriâ, ſed & de toto humano genere, bene meretur Medicus, ad omnia ſui officii munia paratus, & talem ſeſe præſtitiſſe Profeſſorem noſtrum nullus inficias ibit.

In eo morborum genere tractando præſertim excelluit, quos non immeritò Medicorum opprobrium dixêre, noſtrâ ætate adeò frequentes, quos rectè philoſophi vitæ intemperantiæ, & divitiarum abusûs flagellum vocarent, niſi pari paſſu invaderent illi, ærumnis conflictatos, aut mentem acriùs exercitantes, uno verbo affectus nerveos. Ecquis unquam ad hoſce affectus ſanandos à naturâ aptior fuit? Inſigni facundiâ donatus, alienis miſeriis motus, his levandis paratiſſimus, quorum exiſtimationem ſuâ famâ rapuerat, eorum animos, ingenii comitate, morum honeſtate, ſermonis lepore, alliciebat. Indè in facilè deſperabundis mentibus, ſpem, ultimam malorum requiem, erigebat, fidemque erga auxilia medica mox fugituram revocabat, & in maximè titubantibus ſtabilem reddebat. Fuit ergò, ut *Baglivii* verbis utar, Medicus ſermone potens & artium ſuadendi peritiſſimus, tantam vim, dicendi facultate, medicamentis ſuis adſtruens, tantam doctrinæ ſuæ fidem in ægris excitans, ut interdùm, vel abjectiſſimis remediis, difficiles morbos ſuperaverit.

Non tamen ideò exiſtimetis, Aud. ornat., in hiſce arduis caſibus, totam ejus conſtitiſſe Medicinam in auxiliis moralibus; vitiorum organicorum functiones corporis lædentium attentus obſervator, his debellandis idoneam opem ferebat; neque ulli methodo excluſivæ addictus, hæc ſolis diluentibus, juxtà quorumdam placita, nec ſolis roborantibus, aggrediebatur, ſed plerùmque ritè ſociatâ utrâque methodo; ſic plures novi graviſſimis affectibus nerveis radicitùs ſanatas ab illo mulieres, poſt præmiſſa diluentia, audaci thermarum bellilucanarum uſu, hactenùs ab eorum curatione indoctâ formidine expunctarum.

Naturæ viribus maximè confidens, ubi hæ ſibi ſufficere videbantur, vel ab omni remedio abſtinebat, vel ſi importunè aliquod extorqueretur, id planè iners, aut leviſſimæ efficaciæ concedebat, dubius utrùm, inter curandos morbos, *ſecurè* Medicus eò ducere poſſit, quò natura, etiam cum bonis ægri rebus, vergit, aut vergere videtur, aut ſolet? Neque tamen naturæ moliminum adeò otioſus ſpectator erat, quin crederet doctrinam veterum circà vires naturæ medicatrices, ſtare poſſe & debere unà cum legibus Medicinæ prudenter activæ.

Inſurgant nunc artis utiliſſimæ detrectatores, ſui ſcepticiſmi fundamentum eruentes, ex eò quod plures percelebres Medicos de ſuâ arte dubitantes afferant! noſtrum etiam Profeſſorem inter illos annumerent! at certi ſint ſe talia fando à vero aberrare. Quis enim potiori jure Medicinæ credere poterit quam ejus utilitatis quotidiani teſtes, ejus portentorum aſſidui opifices? Sed iſti funditùs artem callentes, ejus limites apprimè norunt, & ſeſe naturæ

ministros tantùm profitentes, eam ægrotantium saluti prospicientem certis signis cognoscentes sibi ipsi permittunt, huic duntaxat opitulantes ubi deficere videtur, eam juvantes doctâ imitatione eorum quæ patrare solet apud eos quos ipsa sanat. Sic natam Medicinam longa firmavit observatio, præcipuum, ne dicam unicum ipsius fulcrum. Sic sentiebat ill. Prof. noster quascunque theoreticas disquisitiones, tanquam mera imaginationis figmenta, ex artis exercitio rejiciens.

Nequis tamen inde concludat cæco empyrismo ductum fuisse; duplicem admittebat theoriam (1); aliam quam vocabat rationalem, qualem requirebat prisca Medicorum rationalium secta, aliam quam dixit empyricam, qualis, etiam à veteribus empyricis, non rejiciebatur; ista causarum evidentium, & multiplicium circumstantiarum, quæ aliquam in medendo differentiam inducunt, concursu exurgit; hæc curiosiùs investigat quidquid ad corporis structuram, ejusque intimam alterationem, pertinet; istam velut Medicinæ physicam habebat Vir clar. eamque naturæ rerum contemplationem, Medicum non facere, cum *Celso* opinabatur, aptiorem tamen Medicinæ reddere, excitando ejus ingenium; eam adeò ab artis exercitio tantùm ablegans, utpotè damnosam si regulam daret faciundæ Medicinæ. Theoriæ empyricæ fundamenta eruebat, ut jam diximus, ex singulis quæ in medendo aliquod afferunt

---

(1) Vide ejus commentarium de causâ pulsationis arteriarum, cui nonnulla adjecit corollaria quæ satis superque ejus sententiam super istud argumentum patefaciunt.

hisce otiis diù potitus esset, si amicorum vota non fuissent irrita, cùm, in mediis laboribus, humore atrabilario correptus, pridem in corpore latitante, statim sub sat benignâ specie erumpente, mox omnem suam ferociam manifestante, septuagenarius, multis ille bonis flebilis occidit (1): cognatis quorum amantissimus fuit, conjux optimus (2), patruus beneficentissimus (3): amicis, qui eum & prudentissimi consilii, & ad omnia obsequia paratissimum nunquam non experti sunt: vobis Collegæ spectatissimi! quorum exemplis quotidiè certior fiebat optimos quosvis Medicinæ Professores, idcircò eximios Medicos esse; quos justâ existimatione prosequens, fraterno colebat amore: vobis philiatri amantissimi! Scholæ nostræ spes altera, quos parentis instar diligens, omni officiorum genere fovebat: patriæ adoptivæ, quam suâ famâ ornabat: humanitati, quam morbis conflictatam sanabat, ærumnis gravatam consolabatur: nulli verò flebilior quam mihi, cui ob propiùs contemplatas dotes eximias, ob singularem quâ me fovit humanitatem, grati, addictique animi affectus, vitam, quantacunque supersit, luctu indelebili obruent.

DIXI.

---

(1) Die 18 Martii, anni 1787.

(2) Uxorem duxerat anno 1751. N. D. Ludovicam Guilhe, ex oppido Bollene in Comitatu Vindascino, multiplici dote commendabilem, cujus summa laus erit tanto conjugi nuptam fuisse. Nullam ex eâ prolem suscepit.

(3) Bonorum suorum hæredes instituit D^um^. *de Lamure* in legione Martinicæ ducem, ejusque binas sorores, quos ex fratre natos, virtute magis quam consanguinitate affines, sibi filios adsciverat.

